

ria stet in aliquo loco secreto cum panno superposito, ne pulvis ingrediatur, & humiditas panni accidentalis omnino expellatur à vase. Et hoc opus fiet propter duas causas, primò propter subitam mutationem naturæ, secundò propter humiditatum accidentalium expulsionem, quæ in causa erunt extinctionis *MATERIÆ VIVACIS* in nostro *LAPIDE*, & de incineratione eiusdem.

Quartus Error erit in destillatione quandoque, cum materia plus destillatur, quàm oportet, seu plus exaltatur: Nam in Aqua specialiter sunt *Tria*, *SPIRITVS*, *ANIMA*, *TINCTVRA*. Nam Spiritus & Anima non penetrant, nisi per quandam vim corrosivam, quanquam in diuersa destillatione omnino debilitatur virtus & *NATURA*, & si aqua turbida fuerit & non clara, seipsam rectificat sine destillatione, & quod in fundo remanserit, proiciatur ad terram.

Quintus Error est in rectificatione Terræ, & hoc paulatim & paulatim fiet sic, vt quoties imbibatur, toties desiccetur: Vnde tres partes aquæ sunt ad vnam partem Terræ suæ, & plus quandoque, si indigeat propter perfectam dissolutionem. Et dissolutio perfecta huius operis est perfectissima sua quinta Essentia, omnem in se habens virtutem medicinalem & fragrantem mirabiliter, omni dulcedine plenam.

Tria sunt Signa perfectæ dissolutionis. Primò, vt sit vera Aqua in se sine fece; Secundò vt sit Lactea in superficie; Tertiò, vt in gustu linguæ sit mellei saporis & dulcedinis. NB. Hæc autem prædicta materia congelat seipsam cum igne calido & sicco, & dissoluit seipsam cum igne calido & humido. Et hæc Aqua est permanens & perpetua, quæ propter mirabiles suas virtutes habet omnem vim Lapidum: Ideo Nomine omnium Lapidum nominatur. Hoc est *Argentum Viuum*, *Sulphur*, *Auripigmentum*, & infinitis aliis nuncupatur nominibus, & tamen nihil horum est in Natura, sed in Virtute. Nam *Argentum Viuum* est, quia in se habet perfectam virtutem & vitam: Et est *Sulphur* incombustibile, & ideò omne signum trahit secum secundum primariū significatum: Quia signum capit denominationem à suo posteriori, de suo principali significato.

Error sextus & vltimus est in operis continuatione & proiectione: Nam si discontinuatio esset in calore, in vase, seu in tempore, incineratio operis consequetur. Tempus enim æquale est, scil. in putrefactione 40. dierum, ad albedinem 40. dierum, & ad rubedinem 40. dierum, ad perfectam dissolutionem 40. dierum, si regimen ignis debite sit moderatum & adhibitum.